



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio IV. Vtrùm Deus sit spiritualis vivens, omnipotens, immensus, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

QVÆSTIO IV.

Utrum Deus sit spiritualis, vivens, omnipotens, immensus, &c.

SECTIO I.

Conclusio ponitur.

DEus est spiritualis, ac proinde omnino incorporeus, & immaterialis. Hanc veritatem Philosophi Gentiles lumine naturali comparauerunt, vnde Marcus Tullius in *Tusculanis*, hæc aurea verba profert: [nec vero Deus ipse qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest nisi mens soluta, quædam, & libera, segregataque ab omni concretionem mortali, omnia sentiens, & mouens, ipsaque prædita motu sempiterno.] Quid clarius? & Seneca *lib. de vita beata*, cum Deum definiat esse totum, quod vides & quod non vides ait: [est scilicet quasi mundus, sed mundus inuisibilis, mundus sapientiæ, scientiæ, rationis, consilij, prudentiæ, bonitatis, vniuersitas incomprehensibilis, animi vastitas, nihil illic non animus, non ratio, tam vnicus quam magnus, immensitas vniformis: non corporis autem, non elementi, non ignis, aquæ vel aeris immensitas, sed sapientiæ, rationis, consilij, bonitatis.]

Quod idem Seneca annuit *lib. de Consol.* [Quocumque (ait) nos mouerimus sequetur natura cõmunis, & propria virtute id actum est, mihi crede, ab illo quisquis formator vniversi fuit: siue ille deus est potes omnium, siue incorporalis ratio, ingenium operum artifex: siue diuinus spiritus, per omnia maxima, & minima equali intentione diffusus.] Ac tandem vt modum insinuet quo Deus incorporeus est: [ab illo (inquit) formatore nos descendimus; ipse quidem inuisibilis regnans, imperansque in mundo, & vbique præsens licet inuisibilis, quemadmodum animus in corpore:] vides Deum incorporeum tum à Seneca, tum à Tullio affirmari, nec propterea non esse Deum, quia incorporeus sit, & à corporum materia solutus: sed potius hac ratione illius existentiam probari, quod cum rerum omnium corporearum author ac opifex sit, iis nobiliori eum natura præstare deceat. Id disertissime confirmat Plutarchus *lib. de Principe*, vbi ita Deum incorporeum ac immaterialem asseuerat: vt verisimile quidem esse dicat, aut conueniens, corpus, aut sensus Deo tribuere; neque enim (ait) verisimile est, neque decorum, Deum mixtum esse cum materia cuncta patiente, necessitateque, & fortunas, mutationesque innumerabiles recipiente: sed nobis desuper defixus, stabilisque ea natura, quæ semper eodem modo permanet,] & post pauca ait: [Deus fundamentis sanctitatis subnixus per omnem naturam inambulat, non quasi materia mixtus: sed in excelsis Throno Diuinitatis suæ, mirabili modo regnans in cælo, & per omnia diffusus: velut sol flammis terrarum omnia opera lustrans.]

Quapropter Mercurius Trismegistus Philosophorum pater in *Pimandro*, Deum à corporum omnino natura arceat. [Sanctus Deus (inquit)]

qui solo verbo cuncta fecisti: Sanctus, cuius omnis natura fuit imago: Sanctus es, quæ non firmavit natura, nimirum, cuius firmior manus quæ non natura est,] id vero luculentissimis verbis docet in *Asclepio*: [Quid igitur (inquit) est incorporeum? mens, & verbum, quæ se ipsam ex vnigesso ab omni corpore libera sustinet, & continet: inenarrabilis, impassibilis à corpore, & intangibilis. Ipsa seipsa stans capax omnium se-junctrix rerum: cuius radij sunt bonitas, veritas, lux exemplaris, exemplat anima:] hæc Trismegistus, cui etiam Asclepius ipse vetustissimus Philosophus adscriptatur ad Ammonem Regem scribens, vbi profunde multa de Deo Philosophatur: eundem præsertim spiritum indefatigabilem nominans, [nimirum (ait) indefatigabilis spiritus est Deus, semper, & eodem modo habens sua scientiam perennis felicitate operationibus eadem vtens ad omne tempus: superans omnium Rex, bonus Deus.] Principio quidem eum spiritum esse definit, vt incorporeum illum esse demonstret: tum indefatigabilem, quod recentiores Philosophi dicentem virtutis infinitas, aut facultatis inexhaustas.

Idem plane sentit Empedocles, qui Deum sphericam non corpoream, sed intellectualem vocat, cuius centrum vbique est, circumsferentia vero nulloquam: perinde ac si illum incorporeum omnibus rebus præsentissimum, æternum, ac incomprehensibilem diceret. Thales etiam Milesius (Tullio teste) Deum esse mentem dixit, quæ ex aquis cuncta produxit, ac forte id ex Moyse decerpit, qui *Gen. 1.* ait [spiritus Domini ferebatur super aquas;] vel, vt alij vertunt [fovebat aquas,] vt ex iis rerum formas educeret, aquarum enim nomine primam materiam insinuat: quem sequutus Anaxagoras, & ipse Deum mentem appellat, quæ omnium causa existerit. Nos imitatus Virgilius, inde eum, & spiritum & mentem esse canit.

*Spiritum intus alit, totosque infusa per arces,
Mens agit atque molem, & magnos se corpore miscet.*
Iis accedant quotquot Deum vnitatem summam esse dixerunt: inter quos sunt Empedocles, Parmenides, Melissus, Pythagoras: nam hi quidem corpus appellant multa, qualitatem multa, & vnum: Animam vnum & multa, Angelum vnum & multa: Deum denique vnum, ac vnitatem summam: vt eum ab omni proterius corporis numero, ac compositione liberum ostendant.

Demum Epicetus Stoicus cum Deum summam esse bonitatem, atque ipsam boni substantiam doceat: ipsum nec sensibus, nec carne, neque corpore constare posse affirmat: [veri igitur simile vbi substantia dei, illic esse substantiam bonitatis. Quæ igitur est substantia dei? caro? absit; Ager? absit; Mens, scientia, recta ratio: hic igitur simpliciter quære substantiam boni:] illum autem Altissimam hanc naturæ diuinæ Theologiam à Mercurio hausisse existimandum est, qui diuinitatem non carnem, non corpus, neque aliquid huiusmodi esse asserbat: sed mentem, sapientiam, scientiam, rectam rationem nominabat.

SUBSECTIO I.

Authoritate Sanctorum Patrum probatur

hec veritas.

4 **O**rigenes lib. 1. de principiis, ita de dei natura scribit: [non corpus aliquod, aut in corpore putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino adinfectionis admittens;] Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 1. thesauri, c. 7. sic ait: [Non compositus, sed simplex deus est, non corporeus sed intellectualis natura beatitatis;] idemque Cyrillus ad Calosyrium agens de deo hac verba profert: [Deus est corporis expertus, quod & Saluator ipse dixit inquitens deus Spiritus est, non itaque corporeus si spiritus est; neque formam corporis praesert: quod enim corpore praeditum non est, forma etiam careat necesse est; neque quantitas, aut figura in deum cadit.] Item Athanasius in *Decretis Synodi Nicaenae contra Arium*, ibi: [homo ex materia, & eaque patibili creatus est; Deus contra immaterialis, & incorporeus existit.] praeterea Gregorius Nazianzenus de fide: [Quae est substantia Dei (inquit) nisi ipsum, quod deus? simplex, singulare, purum, nulla concretionem permixtum, simplicum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum, totum.] & oratione 2. de Theologia, ait: [deum non esse corpus ne aliqui compositio admittatur.] Sanctus Bernardus libro 5. de consideratione cotum. 7. tam simplex deus incorporeus quam unus est, & *serm. 80. in Cantica*, [sola (inquit) summa & increata natura hanc sibi vendicat meram, puram ab omni corpore singularemque suae naturae simplicitatem;] idem docet Sanctus Anselmus, in *monologio*, cap. 6. Sanctus Augustinus, libro 9. de *Trinitate*, cap. 6. ubi egregie hanc spiritualitatem declarat idem ipsum confirmant Elias Cretensis, in *oratione 3. Nazianzeni*. Rufinus in *explicatione Symboli*.

Authoritate Scripturae probatur haec veritas.

5 Et primo patet hoc ex verbis Christi Domini Ioannis 4. ibi, [Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare.] cui etiam consonat illud Pauli 2. ad Corinth. 3. dominus autem spiritus est, ubi autem Spiritus domini ibi libertas;] at constat spiritum a corporum natura solutum esse, ut testatur Christus ibidem apud Ioannem: [Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videris habere:] ergo Deus, qui spiritus est minime corporeus est, quod amplius manifeste patet ex illis verbis Isaiae cap. 40. [Qui ergo similem fecistis deum? aut quam imaginem ponetis ei? nunquid sculpsit conflavit Faber, aut Aurifex auro figuravit illud, & laminis argenteis argentarius? forte lignum, & imputribile elegit artifex sapiens, quarit quomodo statuat simulachrum quod non moueatur: Numquid non scitis? nunquid non audistis? nunquid non annuntiaturum est vobis ab initio?] Plane hac tanta Prophetarum verborum inculcatio grauissima causa non vacat: nam si Deus corporeus esset, cur auro, vel argento, aut ligno, aut lapide effigiari non posset? quid reprehensione, aut animaduersione dignum esset, si ut corporeus est, corporeum illi simulachrum erigessetur? At iis

Propheta deum omnino formae expertem esse declarare voluit, ac propterea nulla posse diuinam naturam arte effingi, ut corporea esse existimeretur: cui optime consonant verba Pauli *1. Cor. 17.* cum ait: [Genus ergo cum simus dei, non debemus aestimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturae artis, & cogitationis hominis diuinum esse simile;] siquidem perspicuum est ea arte tantummodo referri posse, quae corporea sunt, cum vero, diuina natura nullo artis simulachro exhiberi possit, liquido constat incorpoream esse.

At idem Paulus deum vocat inuisibilem 1. *Tim. 6.* Regi saeculorum (ait) immortalis, & inuisibilis, soli deo honor, & gloria:] At quomodo Deus inuisibilis a Paulo diceretur, si corpore constaret, quod suapte natura visibile est?

6 Praeterea vera fides, sacris literis innixa Deum infinitum esse docet: ait enim David *Psalm. 47.* [Magnus dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinem eius non est finis;] Quod autem infinitum est, nullis potest terminis concludi, nec consequenter figura constare cum figura certus terminis necessario constet. Quod si deus corporeus est, & figuram, & membra, & partes gerit: certe infinitus esse non potest, cum certis limitibus includatur. Cum vero id fidei, ac Scripturis repugnet, sine liquet non corporeum, sed incorporeum esse.

8 Deum insuper totum ubique esse, & ubique diffundi sacra litera constanter praedicant, David *Psalm. 138.* [Quo ibo a spiritu tuo, aut quo a facie tua fugiam? si ascendero in caelum tu illic es, si descendero in infernum, ades, &c.] & *Ierem. 23.* [Putasne deus de vicino ego sum, dicit dominus, & non deus de longe? si occultabitur vir in absconditis, & ego non video eum; nunquid non caelum, & terram ego impleo?] At si corporeus est, & membra vt homo habet, sequitur plane quod non sit vbique totus, cum corpus vbique diffundi non possit.

9 Rursus qui Deum corporeum esse affirmant compositionem in deo coguntur fateri: neque enim vllum corpus dari potest, quod sit compositionis expertus, atque ita fieret, vt nec omnia, quae in deo sunt, infinitam perfectionem attingerent, quaelibet enim illarum partium, ex quibus componeretur minor esset suo toto, & consequenter non aequae, ac totum perfecta esset: cum vero quod est infinito minus, proculdubio finitum sit: partes illae seorsim acceptae, non essent infinitae perfectionis, sed finitae: atque inde tandem sequi necesse esset, vt cum totum nihil sit extra partes, si partes quibus deus componitur finitae sint, totum ipsum finitum esse oporteat: quod tum Scripturae, tum fides omnino exhorret.

10 Ad hoc etiam illud commodum sequitur. Quod cum deum immortalem sacra litera asserant, vt patet 1. ad *Timoth. 6.* [Rex regum & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem.] David *Psalm. 101.* [Tu autem, idem ipse es, & anni tui non deficient, & tu autem domine in aeternum permanes.] Quod si compositus esset deus, is vt ait Damascenus lib. 1. *Oribod. fid. c. 4.* dissolutioni obnoxius esset: [Quoniam portumodo (inquit) passionis expertus erit, quod ex elementis constatur, atque in eadem rursus dilabitur?] compositio, quidem pugnae origo est, pugna dissidii, dissidium solutionis, ac interitus. Interius autem a deo procul arcendus est, & ideo Didymus libro 2. de *Spiritu sancto*, ad medium: [Deus simplex in composita spiritualisque naturae, neque organa habet, neque partibus compo-

atur.]

nitur.] Bern. lib. 5. de consider. ad Eugenium, Chry-
sost. hom. 38. in acta. Greg. Naz. oratione 34.

Secundo applicari possunt loca, in quibus ter-
tia persona Trinitatis dicitur Spiritus Sanctus,
cum personæ eiusdem naturæ sunt æquales, si
vna persona est spiritus tres personæ dicatur Spi-
ritus sanctus, patet. Tertio, loca, in quibus Deus
dicitur inuisibilis, manifeste hanc etiam verita-
tem conuincunt, quæ cuique facile occurrunt,
accedit ad hoc D. Thom. lib. 1. contra Gentes,
cap. 20. ubi sic ait & probat hanc veritatem:
[Ex prædictis autem ostenditur quod deus non
est corpus, omne enim corpus cum sit continuum
compositum est, & partes habens: deus autem
non est compositus, ut ostensum est, igitur cor-
pus non est. Secundo probatur, omne quantum
est aliquo modo in potentia; nam continuum est
potentia diuisibile in infinitum, numerus autem
in infinitum est augmentabilis; omne autem cor-
pus est quantum: ergo omne corpus est in po-
tentia; deus autem non est in potentia, sed actus
purus, ut ostensum est: ergo deus non est corpus.
Adhuc si deus est corpus, oportet quod sit ali-
quod corpus naturale, nam corpus mathemati-
cum non est per se existens, ut Philof. probat,
eo quod dimensionibus accidentia sunt, non autem
est corpus naturale, cum sit immobilis, ut osten-
sum est, omne autem corpus naturale mobile est;
deus igitur non est corpus. Amplius, omne corpus
finitum est, quod tam de corpore circulari quam
de recto probatur in 1. cæli, & mundi, quodli-
bet autem corpus finitum intellectu, & imagi-
natione transcendere possumus. Si igitur deus
est corpus, intellectus, & imaginatio nostra ali-
quid maius deo cogitare possunt, & sic deus non
est maior intellectu nostro, quod est inconue-
niens, non est igitur corpus: adhuc cognitio in-
tellectiva certior est, quam sensitiua; inuenitur
autem aliquod obiectum sensus in rerum natura:
ergo & intellectus, sed secundum ordinem obie-
ctorum est ordo potentiæ, sicut, & distinctio:
ergo super omnia sensibilia est aliquid intelli-
gibile in rerum natura existens, omne autem corpus
in rebus existens est sensibile; igitur super omnia
corpora est aliquid accipere nobilius: si igitur deus
est corpus, non erit primum, & maximum ens.

Præterea, quolibet corpore non viuentem
viuentem est nobilior, quolibet autem corpore vi-
uente sua vita est nobilior, cum per hoc habeat
supra alia corpora nobilitatem; id ergo quo ni-
hil est nobilius, corpus non est, hoc autem est
Deus: ergo non est corpus. Item inueniuntur ra-
tiones Philosophorum ad idem ostendendum, pro-
cedentes ex æternitate motus, in hunc mundum:
in omni motu sempiterno, oportet quod primum
mouens non moueatur, neque per se, neque per
accidens, (sicut ex prædictis patet.) Corpus au-
tem cæli mouetur circulariter motu sempiterno:
ergo primus motor eius non mouetur, neque per
se, neque per accidens, nullum autem corpus mo-
uetur localiter nisi moueatur, eo quod oportet mo-
tum, & mouens esse simul, & sic corpus mouens
moueri oportet, ad hoc quod sit simul cum cor-
pore moto. Nulla etiam virtus in corpore mouet,
nisi per accidens moueatur, quia moto corpore
mouetur per accidens virtus corporis: ergo pri-
mus motor cæli non est corpus, neque virtus in
corpore, hoc autem ad quod ultimo reducitur
motus cæli sicut ad primum mouens immobile,
est Deus, Deus igitur non est corpus.

12 Dices, scriptura sæpe Deo tribuit corporis hu-
mani membra, igitur corporeus est. At cur po-

tius non inferunt: ergo homo est? sane ineptum
esse huiusmodi argumentationem oratio ipsa de-
clarat. Nam si puræ scripturarum literæ standum
est, cum plerumque scriptura Deum leonem ap-
pelleret, plerumque lapidem, interdum vermem, sæpe
ignem, vitem &c. cur non etiam Deum leonine
naturæ, aut lapideæ, demum aut vermæ, aut
igneæ, aut vitem esse, cum id sacræ literæ tradant,
non existimantea sane ratio est, quia, ut Paulus
ait, [litera occidit, spiritus autem viuificat,] in
his ergo non litera, sed spiritus querendus est.
Plerumque namque scriptura sub literæ cortice
abscondit, in quibus latentia mysteria, potius
quam ipsam literam nobis contemplanda offert.
Nam quis Deum aut fluvium, aut fontem, aut
petram, aut onem, aut id genus aliqua, quo scri-
ptura Deo tribuit, absque summa impietate, ac
ingenti blasphemia esse iuxta literam sentiat?
Quapropter in iis res non iuxta primam, ac ex-
tremam literæ significationem accipienda est: sed
quid res ipsa per literam significata altius in ani-
mo pariat, inspicendum est: quod in omnibus me-
taphysicis loquutionibus contingit.

Quæ cum ita sint, plane constat quodcumque
scriptura membra Deo tribuit, ut puta caput, ocu-
los, linguam, aures, manus, brachia, pedes, &c. illa
non iuxta literam, sed metaphorice exponenda esse:
atque in iis non literæ corticem, sed latentem sub
litera spiritum ac mysterium perpendi oportet.
Atque in eo plurimi ex antiquis Patribus maxi-
me elaborauerunt, ut membra illa quæ Deo attri-
buuntur, non ei ineffe naturaliter, sed tantummo-
do secundum quandam loquendi formam osten-
derent. Hac de causa Hieronymus libellum quendam
scripsit de membris Domini: ubi inter alia
hæc habet: [Vbiunque sacra scriptura sparsim
per libros diuinos, in Deo motus animæ, seu hu-
mana membra describit, id est, caput, oculos palpe-
bras, aures, os, labia, linguam, &c. item motus ani-
mæ, iram, furorē, obliuionē, penitentiam, recorda-
tionē, &c. non carnaliter iuxta historiam à recte
intelligentibus accipienda sunt, sicut à Iudeis, ac
plerumque hæreticis carnaliter sapientibus, qui Deū
corporeum, atque locale opinantur, sed spiritualiter
omnia de eo intelligenda sunt, & consideranda.] Atque
hanc Diui Hieronymi sententiā amplectuntur Io-
Chrys. hom. 1. 2. in Gen. Alex. Cyrillus lib. 1. cont. Iul.
Greg. Naz. orat. 13. His vero prior Philo Iudeus
eamdem explicauerat, cum in lib. de sacrificio Abelis, & Cain,
ubi inter alia hæc habet; [itaque nec illa quidem,
quæ insunt hominibus, de Deo dicuntur proprie,
sed per quendam abusum nominum, quo infirmitas
nostræ succurritur. Quamobrem aufer (ō anima)
quicquid est genitum mortale, mutabile, profa-
num, quando de Deo ingenito, corruptibilibus san-
ctoque solo beato cogitas.]

His suffragatur, quæ scribit Ioan. Cassinus lib. 8.
Inst. c. 4. [Itaque (inquit) ut hæc quæ Deo caput, na-
res, aures, obliuionē, tribuunt, secundum literam non
absque nefando sacrilegio possunt intelligi super eo,
qui inuisibilis, ineffabilis incōprehensibilis, ineffi-
mabilis, simplex, & incōpositus Sanctarū Scriptu-
rarū auctoritate definitur, ita ne furoris quidē, &
iræ perturbatio illi inde mutabili naturæ sine in-
gēre blasphemia poterit coartari. Nam huiusmodi
significatione membrorum diuinis efficientias Dei,
& immensas operationes eius sentire debemus;
quæ nobis nisi per hæc vilitata membrorum vo-
cabula nequeunt intimari.] Præter hos Ioann. Da-
cabus libro 1. Orithod. fid. capite 14. omnia
Deo attributa membra mystice exponit. Quod
etiam

Quaest. III. Vtrum Deus sit infinitus. 199

etiam D. Anselm. libello, que inscripsit, de expositione membrorum Dei, fuisse demonstrat; deum Patres Concilij Foroiulienfis sub Carolo Magno, & Adriano I. in summa fidei, id expresse declarauerunt, quorum hæc sunt verba: [& si legitur oculus Domini, vel brachium vel dextera &c. non membrorum positionem, vel molem corporis, sed effectum summæ & inenarrabilis diuinæ potentie integra rectæ fidei credulitate debemus intelligere; nam quia omnia videt & omnia penetrat, & cuncta nuda sunt, & aperta ante eum, oculos habere dicitur: quia vero nos sua virtute creauit, regit, & protegit, & defendit, brachium vel dexteram habere perhibetur.] Ex his patet quæ, de Deo corporaliter dicitur non ad corporalem illius formam referenda esse: sed mysticam & occultam in his intelligentiam insinuari; vt ex his (vt ait Damasc.) quæ sunt secundum nos, ea quæ sunt supra nos ediscamus.

14 Obiiciunt iterum pertinaciter hoc modo in Scriptura Genes. 1. legitur hominem ad imaginem Dei factum esse: sed homo, qui est imago est corpus: ergo & illius exemplar, Huius argumenti falsitas ex eo potissimum oritur, quod hominem secundum corpus esse Dei imaginem existimant; quod falsum est: cum imago hæc in homine insculpta, non secundum corpus, sed secundum animam attendi debeat. Nam vt acute arguit Melito Sardo apud Theodor. q. 20. in Gen. si Deus idcirco Corpus habere existimatur quale habet homo, quia scriptura dicat hominem ad imaginem illius factum: simili ratione concludendum esset, hominem non esse similem Deo, aut illius imaginem, quandoquidem Deus in Ps. 90. pennis, & alis instructus describitur, quibus nos caremus; & Zacharias, c. 4. Deum septem oculos habere dicit, cum nos duos tantum habemus: præterea Deus petra, lapis, vitis, leo esse dicitur, quorum nec imaginem, nec similitudinem gerimus, & si multa alia per metaphoram Deo scriptura attribuit, quæ si proprie & ad veritatem exigerentur, Deum aut monstruosum, aut insensibilem efficerent: & longe hominis dissimilimum; non igitur (ait Melito) imago Dei querenda est in hominis corpore, sed in animo, qui vt Deus, sic ipse rationis consilij, sapientie compos, & capax est.] Id confirmat D. August. tract. 8. in 1. Epist. Ioann. his verbis: [Vbi factus est homo ad imaginem Dei in intellectu, in mente in interiori homine in eo, quod intelligit veritatem; diiudicat iustitiam, & iniustitiam; nouit à quo factus est: potest intelligere creatorem suum.

15 Quapropter idem 14. de Trinitate, cap. 8. [eo (inquit) homo imago Dei est, quo illius capax est eiusque particeps esse potest.] At luculentissime Greg. Nyfenus de hac re disputat oratione 1. in ea verba, faciamus hominem, &c. [Ad imaginem dei (inquit) facti sumus. Formam deus nostræ similem habet: oculis, auribus, capite, manibus, præditus est, coxarumque vertebis, quibus fulcitur, & insidet quandoquidem sedere deum Scriptura tradit, pedibus item quibus incedit. Talisne igitur deus? Recedant ab animo tuo ablutæ opiniones: abijce cogitationem, quæ dei imaginem imminuit. Figura vacat deus: simplex est. Noli cum de illo cogitas formam vllam confingere, & comminisci, ne more Iudaico, magnum extenues. Noli corporeis illum cogitationibus amplecti, aut mente tua circumscribere.] Quotquot denique de hac hominis imagine scripserunt, tamen nonnihil inter se dissentiant in

qua potissimum animi parte collocati debeat, tamen in animo collocandam censent.

D. Ambrosius lib. de dignit. hom. cond. hominem imaginem dei esse censet, eo quod in animæ essentia dei vnitatem, & personarum Trinitatem in memoria, intellectu, & voluntate præferat Ioan. Damasc. lib. 2. Orthod. fid. hominis imaginem in eo reponit, quod is animam intellectualem, libero arbitrio præditam, ac suo iuri relictam, haud secus, quam se mortalis deus esset, possideat; D. Chrysost. explicans hunc locum Gen. [Faciamus hominem, &c. Basiliius hom. 10. in Gen. Greg. Nyfenus, de creatione hominis, imaginem hanc censent attendendam esse penes hominis imperium, quod in animo gerit; quo supremum dei imperium refert; nam sicut deus rebus omnibus dominatur, ita homo velut mortalis deus cunctis animantibus imperio præsidet. Faustinus sex modos declarat, quibus hominem secundum animum Deo similem esse ostendit: nempe, immobilitate, velocitate, inuisibilitate, incorporeitate, subtilitate, & æternitate. Bernardus serm. 80. super Cant. copiose hanc quætionem exagitat, ac tandem hominis imaginem in tribus potissimum ait consistere: nimirum in libertate arbitrij, consilij, & complaciti. At quamuis in hac imagine assignanda aliquantulum differant, in eo tamen omnes consentiunt, eam penes animum, non corpus attendi debere: hæc ad Hæreticorum obiectiones satis.

SVBSECTIO II.

Rationibus probatur nostra veritas.

17 Prima ratio sit, quæ in hac materia maximum habet fundamentum, quia deus debet esse ens quoddam perfectissimum quo nullum maius possit excogitari; sed corpus tale esse non potest. Maior probatur ex q. 1. quia deus est ens à se absque vllius causalitate: ergo ex sua essentia habet perfectionem omnem: quia non est ratio cur in sua essentia limitetur, & potius hanc, vel illam contineat perfectionem; omnem igitur continebit. Si autem omnes continet illam etiam quæ est vbique esse, & alia, quæ tantum spiritalibus possunt conuenire, videlicet esse secundum totum intellectuum, & compositione carere, quia cæteris paribus melius est simplici modo continere, quam per compositionem; quia propterea compositio, & additio necessaria est, quia vnum alteri extremum compositionis non habet in sua intrinseca perfectione, quam rationem recte prosecutus est B. Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium, paulo ante medium.

18 Secundo sic probatur, quia nulla entitas corporea potest creare: sed deus verè & proprie creat: ergo deus est entitas corporea & materialis. Maior probatur ex illo axioma, ex nihilo nihil fit, quod emanauit inter Philosophos omnes, respicientes solum ad entia materialia & corporea, & vt sic axioma hoc, vt rem notissimam statuerunt. Immo D. Thomas potentiam infinitam necessariam esse ad creationem existimat, neque à causa prima, adhibito instrumento creationem posse attingi: sed per se ipsam immediate, quicquid creat efficere: eo quod causa secunda ad eum modum agendi euehit, etiam diuina potestate non possit, vt quicquam agat, nisi actioni præsupponatur

natur subiectum, qua de re alio loco disputandum est.

- 19 Potest etiam ex eo probari corpus creare non posse, quoniam corpora non attingunt substantiæ productionem sine accidentibus sed potius cum illis, & mediis accidentibus, prius productis: non possunt autem produci accidentia nisi in subiecto: ergo corpora nihil possunt efficere nisi in subiectum, sed quod sit in subiectum sit ex subiecto: ergo corpora nihil possunt efficere nisi ex subiecto, & dependent ab illo: sed facere ex subiecto, & dependent ab illo est educere, & minime creare, quia creare est facere sine dependentia à subiecto & sine subiecto, & ideo dicitur in definitione creationis, quod sit productio ex nullo præsupposito subiecto: si ergo deus creat tum animam rationalem tum materiā primam: ergo deus absolute est spiritualis, & non materialis. Minor prima est certa, quia cum ab aliquo debeat produci ex nihilo materia, & anima rationalis, quod habeat virtutem infinitam, ut supra probavi, necessario & evidenter sequitur solum Deum posse creare materiam, & animam rationalem, quia solus Deus habet infinitam potentiam ex eo quod solus sit infinitus per essentiam: ergo Deus creat, &c.

- 20 Vergetur amplius, quia Deus creavit animam rationalem non mediante alia creatura, & etiam creavit totam materiam rerum sublunarium, v.g. totam materiam aeris diffusam à celo lunæ usque ad terram, & totam materiam terræ per totam profunditatem eius à periferia, seu prima superficie usque ad centrum, & hanc materiam non produxit mediante alia parte, maxime cum materia prima nullius sit actiuitatis: ergo omnes partes immediate creavit & creatas conservat, atque adeo necessario debet esse præsens secundum suam substantiam singulis partibus materiæ. Probatur hæc ultima illatio, (cetera namque non egent probatione) quoniam cum nihil agat in rem loco distantem, quin prius agat in propinquam, huius interuentu in rem distantem suam actionem transmittat, plane quæcumque causa efficiens si proxima & immediata est, suo effectui præsens, & ab eo minime distans esse debet; præcipue, quia deus ratione suæ infinitatis, & immensitatis debet esse per suam substantiam præsens omni enti, & omni parti cuiuscunque entis. Ex his igitur manifeste colligitur deum esse spirituales, & corporis expertem, alioquin duæ substantiæ corporeæ, atque adeo duo corpora ad prædicamentum quantitatis pertinentia, sese mutuo penetrarent in toto spacio, quod infra orbem lunæ continetur, quod nullus admittet. Adde quod nemo designare posset quodnam esset illud aliud corpus, quod cum corporibus quæ intra orbem lunæ continentur, penetratiue esse defenderent.

- 21 Tandem, quia omne corpus est tam imperfecte conditionis, & nature, & adeo limitatum in perfectione, ut apprehenso, & cognito Deo tanquam primo ente, & effectore rerum omnium, statim per se appareat incredibile quod habeat molem corporis.

- 22 Vergetur amplius, quia deus, qui omnia fecit, & à nullo factus est, fecit animam spirituales, & produxit illam ut causā principalis illius: ergo continet illam perfectionem spiritualitatis, quia nemo dat quod non habet: sed non solum continet eminenter, sed formaliter: ergo deus formaliter spiritualis est. Minor sic probatur, quia perfectio simpliciter simplex ex suo conceptu debet contineri formaliter, & non eminenter solum in deo, qui

est infinite perfectus formaliter, sed spiritualis est perfectio simpliciter simplex: ergo non solum eminenter, sed etiam formaliter continetur in deo, sicut intellectus, voluntas, sapientia, & reliquæ perfectiones simpliciter simplices. Unde formaliter debet continere spiritualitatem sine ulla imperfectione, & eminenter spiritualitatem creaturæ admixtam imperfectionibus, seu quæ illis admixta est.

Deinde, quia causā principalis aut est æquiuoca, aut vniuoca; ac proinde debet continere effectum, aut formaliter aut eminenter; extra hoc enim modos continendi non datur medium: sed deus per vos non est spiritualis, sed materialis: ergo respectu animæ rationalis non est causā vniuoca, sed æquiuoca, quia res materialis, & spiritualis non sunt eiusdem speciei, sed diuersæ, quod necessario petit causā æquiuoca: sed non potest esse causā æquiuoca, quia causā æquiuoca principalis non solum debet esse quomodocunque distincta essentialiter ab effectu, sed etiam debet iurare essentialiter in perfectione essentiali, & specifica: sed res materialis non potest excedere in perfectione rem spirituales: ergo si deus est entitas materialis, & corporea non potest excedere animam rationalem, quæ spiritualis est: ergo non potest esse causā æquiuoca illius: ergo non potest continere eminenter spiritualitatem animæ rationalis, si non continet formaliter illam. Patet consequentia, quia sola causā æquiuoca continet eminenter formalitatem effectus: ergo si neque est causā vniuoca, neque æquiuoca nullo modo erit causā.

Atqui deus est causā omnium rerum: ergo est causā animæ rationalis: ergo continet spiritualitatem illius formaliter quoad perfectionem illius eminenter, quoad imperfectionem spiritualitatis illius.

SECTIO II.

Secunda Conclusio ponitur.

Deus est omnipotens: est de fide, & luminis naturalis nota; & probatur sic, quia illud dicitur omnipotens, quod habet virtutem infinitam producendi simpliciter: sed deus habet infinitam virtutem producendi simpliciter: ergo deus est omnipotens. Maior sic probatur, quia illud quod habet omnipotentiam est omnipotens, ab omnipotentia enim omnipotens dicitur: sed id quod habet infinitam potentiam simpliciter habet omnipotentiam: ergo id quod habet potentiam infinitam simpliciter est omnipotens. Minor sic probatur, quia id quod habet infinitam potentiam simpliciter omnia potest facere, sicut id quod habet infinitam scientiam omnia scit, & omnia cognoscit, & id quod est infinite simplex omnem simpliciter habet: sed id quod omnia potest omnipotentiam habet, ab omnia enim posse per potentiam omnipotentia dicitur: ergo id quod infinitam potentiam habet, habet omnipotentiam; minor tam potentiam habet, habet omnipotentiam; à illa sic demonstratur à priori, & à posteriori; à priori quia id quod est infinitum simpliciter per essentiam, & in essentia simpliciter habet proprietates simpliciter infinitas, & ideo habet infinitam scientiam, infinitam voluntatem simpliciter, sed etiam habet potentiam producendi ut proprietatem: ergo habet infinitam potentiam simpliciter.

A post

26 A posteriori sic demonstratur, quia id quod potest creare petit infinitam potentiam simpliciter: sed Deus potest creare, & de facto creat: ergo habet infinitam potentiam simpliciter. Maior supra late probata manet, & nunc sic demonstratur, quia potentia creandi extenditur ad omne creabile; ac proinde ad infinita creabilia (infinita enim creabilia ex se includuntur sub omni creabili,) sed potentia, quae extenditur ad infinita creabilia est infinita simpliciter: ergo potentia ad creandum est infinita simpliciter. Maior sic probatur, quia potentia ad creandum non petit ex parte obiecti neque expectat ex parte illius nisi non repugnantiam, ut effectus sit aut fiat, quia id quod creat, solum facit rem totaliter ex possibili actuali, id est, solum petit ut praesupponat res, quae creatur possibili, quia id quod creatur ex nullo praesupposito subiecto fit, unde cum solum praesupponatur possibilitas rei poterit creari, & ideo dicitur, id quod creatur fieri ex nihilo, sed possibilitas est non repugnantia ad existentiam: ergo potentia creandi extenditur ad non repugnans existentem: sed omne creabile seu possibile est non repugnans existere aequaliter sine ulla differentia, quia inter possibilia non datur unum magis aut minus possibile, quia possibilitas non suscipit magis & minus, quia in indivisibili consistit ut ex terminis patet, ac proinde non datur magis & minus non repugnans existere: ergo potentia creandi, quae extenditur ad possibilia, & non repugnantia debet extendi ad omnia possibilia, & non repugnantia aequaliter, & uniformiter, quia sicut ex parte illarum non datur inaequalitas, ita etiam ex parte potentiae, quae extenditur ad illa non debet dari inaequalitas, ita ut extendatur ad unum, & non ad aliud.

27 Deinde, quia virtus infinita, quae produxit omnia quae continentur in mundo in eis creavit gradus rerum, & in singulis varias species ad quarum productionem non indiguit vel aliqua materia, quae actioni eius supponeretur, vel aliqua alia adiuvante causa: sed sola sua potentia supponendo ut iam dixi ex parte effectuum solum, quod eis non repugnet esse: ergo signum est eadem potestate & facilitate potuisse deum facere omne id, quod non repugnauerit esse, atque adeo quidquid creabile, est sine fine & termino, quia nullam habet causam a qua possit limitari talis potentia creandi: ergo est infinita in esse potentia. Patet consequentia, quia ideo Deus in ratione entis est infinitum simpliciter, quia in ratione entis nullam habet causam, quae conducat, vel adiuvet ad illud esse, ac proinde, quae possit limitare, finire, & terminum imponere tali esse, ut supra demonstravimus, sed etiam potentia creandi in ratione efficiendi non habet causam neque concausam adiuvantem & conducentem, hoc est quia esset talis potentia ad creandum, quia quatenus creat nullam causam habet: ergo talis potentia inesse potest, non habet a quo possit limitari, terminari, & finiri: ergo non est limitata, finita, & terminata: ergo est infinita illimitata, & interminata.

28 Quod autem nullam habeat causam, a qua possit limitari sic patet, quia omnis causa, quae potest coadiuvare potentiam creandi Dei, aut est causa materialis, & subiectum ex quo debeat produci & fieri res, quae per talem potentiam producit: sed potentia Dei, quae creat non indiget subiecto, quia ex nullo praesupposito subiecto producit, alias non crearet, sed educeret: ergo non habet causam materialem, neque formalem, quia quando creat animam rationalem, quae est

forma, nullo modo requiritur alia forma, alias daretur processus in infinitum, & deinde quia anima rationalis, sicut non dependet ab alia anima in esse, ita non dependet in fieri.

Deinde non habet causam efficientem, quia vel illa causa distincta a Deo esset causa creata vel increata; non increata, quia praeter Deum nullum ens est increatum; neque creata, quia ante primam creatam non datur aliqua quae possit coadiuvare Deum creantem illam, & praecipue quia sicut illam creavit Deus sine adiuvamine ipsius, ita potest reliqua creare Deus sine illa: ergo omnipotentia Dei nullam habet causam coadiuvantem, a qua possit limitari ad unum creabile.

Vergetur, quia ut optime docet D. Thomas, quando deus creat, non creat aliquid solum: sed totum ens, quod est in creato: ergo attingit ens secundum se, & in tota sua latitudine sub ratione communi entis creabilis: sed ens creabile in tota sua latitudine includit omne ens creabile: ergo omne creabile est obiectum potentiae creandi: ergo potentia creandi, quia talis est, extenditur ad omne creabile: explicatur, quia in his entibus, quae deus creavit, per se primo producit ipsum ens participatum, in quantum tale ens, quia neque in se, neque in alio praesupponit talem rationem entis: ergo signum est hoc esse obiectum adequatum illius potentiae, & consequenter illam virtutem extendi ad omne illud, quod potest participare productivae rationem entis; hoc autem est omne creabile: ergo potentia creandi extenditur ad omne possibile: ergo est omnipotentia, praecipue, quia quidquid deus creet, nunquam faciet effectum adequatum suae virtuti, neque aequalem suae perfectioni: & aliunde semper eius virtus manet, aequae integra, ac perfecta: ergo quocumque effectu facto potest aliud ens creare quod magis, & magis participet perfectionem ipsius Dei sine fine, & limite: ergo potest quodcumque ens, & omne ens creabile, & possibile efficere: ergo est omnipotentia & Deus ratione illius est omnipotens.

SECTIO III.

Conclusio ponitur.

Deus est immensus, hoc est, est in omnibus locis, & ubique. [Hae conclusio est de fide, & probatur ex Scriptura, Isaia enim 66. dicitur: [caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.] Supra quae verba sic ait Hieronymus: [hoc inquit ut Iudaeorum convincat errorem; qui putant invisibilem, & incorporealem & incomprehensibilem Deum Templo Ierusalem posse concludi] Ieremia 23. [caelum, & terram ego impleo] Sapientia 1. [Spiritus Domini replevit orbem terrarum.] Isa. 6. [Plena est omnis terra gloria eius;] elarius autem Psalm. 138. ibi, [quod ibo a Spiritu tuo; & quod a facie tua fugiam: si ascendero in caelum tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumptero pennas meas diluculo; & habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, &c.] Quam veritatem aperte docent Sancti Patres passim, ut Cyprianus lib. de vanis Idolor. [Dei (inquit) templum totus est mundus]. & infra: [Deus est, totus ubique diffusus]. Hilarius libro primo, de Trinit. [nullus (inquit) sine Deo locus est], Ambrosius, libro primo

C c primus

primo de Spiritu Sancto, cap. 7.] Domini (inquit)
est omnia complere]: quod rursus confirmat,
serm. 10. in Psalm. 118. explicans illam versiculam
in cap. 66. *Isai.* [quomodo (inquit), paruo con-
cluderetur loco, qui omnia implet, & in quo
fuit omnia]: ibique hoc fulius probat contra Iu-
daeos, & quos ait, [putasse Deum inuisibilem &
incorporealem templo Hierusalem posse concludi],
vt ante dictum est. Item Augustinus, in *Epist. 57.*
ad Dardanum: Deus (inquit) vbique praesens
est, & vbique totus], similia Gregorius, lib. 16.
Moral. cap. 15. Bernardus, libro quinto, de *con-*
sideratione. Anselmus, in *monolog. cap. 19.* & se-
quent. Ex Graecis Dionysius, cap. 9. de *diuin. nom.*
vbi ait, [Deum penetrare omnia]. Item libro 2.
cap. 1. Origen. lib. 7. contra *Celsum, post medium.*
Athanasius *oratione contra Gregales Sabellij*, non
longe a fine, Cyrtillus lib. 1. *Thesauri* cap. 7. vbi
ait: Deum penetrare omnia]. Gregorius Nyssen-
us *orac. 3. cap. 25.* Gregorius Nazianzenus, *apo-*
logo 1. Chrysostomus *homil. 17. in Genes.* Theo-
doretus in *cap. 1. ad Ephes. in fine*, Damascenus,
lib. 1. cap. 8.

32 *lib. i. cap. 8.*
Explicat autem Augustinus, *lib. 7. confessionum*,
cap. 5. pulchra similitudine, quomodo ipse sol-
licitus esset, animo concipere istam Dei præsen-
tiam in omnibus rebus: [continuebam (inquit)
in conspectu spiritus mei, vniuersam creaturam,
& feci vnam massam grandem, distinctam gene-
ribus, sane finitam : te autem Domine, ex omni
parte ambientem eam, & penetrantem, sed vsque-
quaque infinitam; & tanquam si mare esset vbi-
que & vndique per immensa spatia infinitum so-
lum mare, & haberet intra se spongiam quamli-
bet magnam, sed finitam tamen: plena esset spon-
gia illa ex omni parte sua, immenso mari; sic
creaturam tuam finitam, te infinito plenam puta-
bam, & dicebam, ecce Deus, & ecce quomodo
ambit, & implet ea.] Hoc exemplum apostolorum
sane est, & quiddam illi simile Diuus Paulus cogi-
tasse videtur, cum de Deo dicit, *Act. 17.* [In
ipso vivimus, mouemur & sumus]: sed tamen
illud discrimen simili cogitur quod mare illud
immensum non esse totum in qualibet parte spon-
giæ. Deus autem qui immaterialis est, totus est
non solum in tota rerum vniuersitate, sed etiam
in qualibet re, quantumcunque minima, vt idem
Augustinus, *libro vicesimo secundo, de Cinitate*,
*Dei, cap. vicesimo nono, & in epistola 57. ad Dar-
danum*, & sæpe alias, præclare docuit. S. Hila-
rius: [adest (inquit) ille vbicunque, qui vbi-
que est, nec subterfugi potest, intra quem omnia
sunt, & qui in omnibus est]: sed elegantius
Sanctus Augustinus enarratione in prædictum
Psalum: [Quis potest fugere in mundo ab illo
spiritu, quo plenus est mundus? quis est locus
recepturus fugitiuum dei? vbi non est deus? quò
ergo ibit fugitiuus iste à facie dei? vertit se huc
atque illuc, quasi quærens locum fugæ suæ, tan-
dem cognouit male fugitiue, nullo pacto te pos-
se longe fieri ab eo, à quo longinquare voluisti,
ecce ille vbique est.]

33 Propterque Sac. S. Macarius *tom. 2. Bibliot. homil.* 16. vocat [Deum incomprehensum, incircumscriptum, & ubique existentem], faciunt pro eadem res verba Sancti Bernardi adducta, *sectione 2.* & quæ ex aliis Patribus protulimus, *sectione 3.* Denique consentiunt Philopoli, *Seneca lib. 5. Epistolarum, epistola 41. ad Lucillum,* [prope] (inquit) est & te Deum, tecum est, intus est]; ille etiam alter Poeta ceedit.

*Iouis omnia plena,
Quò fugis Encelade, quascumque accesseris
oras,
Sub Ione semper eris.*

Et celebris est Trismegistri sententia, [neum esse
circulum, cuius centrum est vbique, circumse-
rentia vero nusquam], vt nimirum denotetur nul-
lum esse in quo non sit, ita tamen vt in maiori si
creetur, existere valeat.

Ratione fidei demonstratur nostra veritas, quia
Deus tam infinitus est in sua presentia, sicut in
omnipotentia, scientia & reliquis; & ratio ma-
nifesta est, quia tota infinitudo scientia, omni-
potentia, &c. provenit illis ex eo quod sint per-
fectiones diuinae conuenientes ipsi, quatenus est
in se, hoc est habens infinitatem essentialem,
& per essentiam. Cum autem presentia dei non
minus sit attributum, & perfectio dei, quam om-
nipotentia, scientia, &c. necessario sequitur non
esse minus infinitam quam omnipotentiam, scien-
tiam, & reliqua: sed omnipotentia, & scientia,
&c. quia sunt infinita vnaqueque in suo genere
extenditur ad omne obiectum talis attributi, &
nullum est obiectum, seu terminus illius, ad quem
non extendatur talis perfectio, v.g. quia sapientia
dei est infinita extenditur ad omne scibile,
& quia omnipotentia est infinita simpliciter ex-
tenditur ad omne possibile, quia potentia Dei, &
scientia ipsius non quomodocunque est scientia,
& potentia, sed etiam omnipotentia; & omni-
scientia; omnipotentia autem ex eo quod talis
est, debet extendi ad omne possibile, & omni-
scientia ad omne scibile; nam formalitati scien-
tia correspondet scibile, & formalitati omni-
scientia correspondet in obiecto omne: sed pre-
sentia est infinita simpliciter sicut potentia, &
scientia Dei: ergo sicut illa perfectiones dicun-
tur omnipotentia, & omniscentia; ita hæc di-
cetur non solum quomodocunque presentia, sed
etiam omni presentia, & non solum quomodo-
cunque vbi, sed etiam omni vbi: ergo talis om-
ni presentia, & omnivbi extenditur ad omnem
terminum presentia: & vbi sed terminus pre-
sentia: & vbi est locus, seu spatium: ergo presentia dei
extenditur ad omnem locum, seu spatium: ali-
quid potest esse præsens; vnde deus ratione suæ
presentia est in omni loco, & spatio; sed quod
huiusmodi est immensus est: ergo deus ex eadem
ratione naturaliter est immensus vt optime colligi-
tur ex illo *Isaia* 14. [Quis mensus est pugillo
aquas, & caelos palmo ponderauit, quis appen-
dit tribus digitis molem terræ, & libravit in
ponderementis, & colles in flatera?] Quibus ver-
bis significatur excessus immensitatis diuinae su-
pra res omnes, spatio, & loca creata; quibus
non includitur, sed adhuc extra manet: sicut ea
que sunt alius celsiora, profundiora ac longiora
extra illa protenduntur: & que exterius aliquid
continent, nec ab illo capiuntur, longe maiora
esse debent. Hec testimonio eandem veritatem
confirmant Athanas. de *unita substantia Trinita-
tis*, lib. 5. in fin. Hilarius lib. 1. de *Trinitate*, ci-
t. Hieronym. in cap. 66. *Isai.* Chrysost. in id.
Isaia, 12. Quia fides dominus Deus noster, qui
in altis habitat] Gregor. locis superius citatis,
& Petrus Damian. vbi, *supra*, Præterea idem do-
gma stabilitur illis locis, quibus Deus assertitur
ad esse omnibus, aut prope esse, quale est illud,
Psalm. 118. Prope est tu Domine. Ex quo nem
esse vbique colligit Hilarius, & Ambros. ibi-
dem, & illud, *Ierem.* 23. Deus appropinquans:

dem, & illud. *Jerem.* 23. [Deus appropinquans: ego sum, & non Deus de longe] quo loco vtuntur ad hoc institutum Hieronym. ibidem, & in id ad *Ephes.* 2. [Facti estis prope in sanguine Christi], & Chrysost. in *Isalm.* 112. citat. Denique facit illud *Astor.* 17. [non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus]; quod ex instituto expendam infra.

35 His obstat credet aliquis, quod in sacris literis non nunquam tribuitur Deo peculiaris aliquis locus, vt *Genes.* 28. [vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam,] & *Isalm.* 3. 32. 52. 79. 101. Dicitur Deus de celo in terram aspicere, quasi non sit in terra, sed solum in celo, & *Psalm.* 113. [Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.] Christus Dominus *Matth.* 6. Paternoster, qui es in cælis. *Isalm.* 75. [Habitatio ejus in Sion] & sæpe in scriptura dicitur habitare in sanctis, & longe esse ab impiis. Hoc autem non obstat: quoniam vt expresse notant Nyssen, tract. de profes. Christianorum, versus finem. Chrysostom. in id *Psalm.* 9. [Psallite Domino, qui habitat in Sion.] Cyrillus Alexandrinus super illud *Isai.* 63. convertere de celo &c. Procopius in cap. 64. *Isaiæ.* Alcuinus lib. 2. de *Trinitate*, cap. 5. Damascenus lib. 1. de fide cap. 16. *Euthym.* super illud *Matth.* 6. [qui es in cælis.] Rupertus ubi supra. Bernard. *serm.* 1. in *Isalm.* [qui habitat in fine & serm. 6 in dedicatione Ecclesie], huiusmodi locutiones non respiciunt communem modum, quo Deus est in rebus omnibus, sed peculiarem, quo est in aliquibus propter peculiare effectus, aut manifestationem omnipotentie, & gloriæ suæ, vel aliarum perfectionum divinarum. Ex eo autem quod peculiari quadam ratione sit in vno loco & non in alio, minime sequitur, vt non sit in omnibus communi modo ratione immensitatis. Quod patet quoniam ex eo, quod Deus post incarnationem, cœperit esse in Christo speciali quadam ratione consequens non est vt desierit esse in celo, & aliis locis in quibus prius erat, vt constat ex verbis Christi Domini *Joan.* 3. [nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in celo]; in terra erat ratione humanitatis, nec tamen proinde desinebat esse in celo ratione divinitatis.

36 Vnde Athanasius oratione contra idola, post medium, inquit [ratio famaque de Deo obtinuit eum ubique existere, nihilque omnium esse quod Deum sub se teneat, ac potius omnia sub potestate illius contineri]; vnde Euseb. Cæsar. lib. 13. de præparati. *Enang.* cap. 7. & Cyrill. Alexandr. lib. 1. contra Iulianum, post medium, testimonium Orphei Poëtæ antiquissimi, quo perspicue tradidit Deum esse ubique, Lactantius vero lib. 1. instit. cap. 5. & Hieronym. in id *Ezechiel.* 40. [Introduxit me in atrium.] &c. Illud latini Poëtæ;

Principio cælum, ac terras, camposque liquentes,

Lucememque globum lune, titaniaque astra, Spiritus inuis alit, totamque insula per artus.

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Eamque fuisse Platoniorum & Peripateticorum sententiam affirmat Cicero 1. *Academic.* quam fise explicat Plotinus Platonie. *Ennead.* 3. lib. 5. cap. 9. & *Ennead.* 6. l. 8. c. 16. I. P. Tom. II.

Secundò probatur ratione Diui Thomæ 1. part. quæst. 8. art. 1. quæ sic se habet, omne agens debet esse coniunctum passo in quod operatur, sed Deus est vniuersale agens efficiens omnia; & in omnibus, quæ sunt: ergo est intine præsens in rebus omnibus. Maior à nobis late probata manet in Philosophia quæstione vtrum aliquid agens adhuc diuinitus possit agere, ubi non est præsens illo modo, videantur omnia ibi adducta, quæ veritas sumitur ex Aristotele 7. *Physicorum*, cap. 2. dicente mouens & motum debere esse simul quod in omni agente verum est, vt supra loco citato demonstrauimus. Minor autem constat ex his, quæ supra diximus, videlicet quod omnia entia præter Deum fiant, & producantur, seu conseruentur ab ipso, & ipse agat immediate per actiones omnium agentium secundorum, atque hanc rationem videtur insinuasle Paulus *Actorum* 17. in illis verbis: [querere Deum si forte attrectent eum, aut inueniant, quamvis non longe sit ab vnoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur & sumus &c.]

38 Respondet Scotus illam conditionem approximationis agentis ad passum, quando operatur tale agens, solum requiri in agentibus finitis, in Deo autem qui infinita virtute operatur, non posse assignari rationem cur sit necessaria.

39 Sed contra, quia quæst. supracitata, & in aliis locis ostendimus, coniunctionem hanc quam agens requirit cum passo, vel effectu, non fundari in hoc quod agens est finitum, & limitatæ virtutis, sed in ratione agentis vt sic. Nam si fundaretur solum in limitatione virtutis, non esset cur omnia agentia finita æqualem propinquitatem passi seu effectus requirent, quia non omnia sunt æqualia, licet omnia sint finita. Vnde sicut omnia habent finitam spheram activitatis, quia habent finitam virtutem, non tamen habent æqualem spheram, quia non habent æqualem virtutem: ita etiam hic modus agendi in rem distantem, prius attingendo propinquam non æqualiter conveniet omni agenti finito; sed ad summum erit commune omnibus non posse agere immediate ad quancunque distantiam, sed ad finitam, & quod magis limitatum est ad minorem distantiam. Quod vero nihil omnino possit agere, nisi inchoando actionem à re propinqua, non est cur conveniat necessario omni agenti finito, eo quod finitum est, si ratio agentis vt sic id non postulat. Quod declaratur, retorquendo rationem in hunc modum; nam si causa efficiens vt sic non postulat hanc coniunctionem cum effectu, seu actione sua, ex eo quod causa efficiens est, sed quia finita est: ergo si fingamus esse causam infinitæ virtutis in definito loco, illa posset immediate agere in distans, nihil agendo in propinquum, quia nihil est quod obstat. Imo eadem ratione posset agere ad quancunque distantiam in infinitum, quia virtus infinita non debet habere limitatam spheram, & aliunde supponitur, ex ratione causæ efficientis non esse necessariam illam immediationem seu propinquitatem: ergo ob eadem rationem servata proportionem agens finitum, cum habeat certam spheram extensam vsque ad certam distantiam, poterit intra illam immediate agere in distans, quamvis non agat in propinquum.

40 Quanta ergo euidencia aut certitudine ex his, quæ experimur in agentibus naturalibus, colligimus

gimus omnia sibi determinare hunc modum agendi, tanta certe colligendum est illam necessitatem non provenire ex limitatione virtutis, sed ex ipsamet ratione agentis. Nam sicut forma ut forma est, requirit ad suum effectum formalem unionem & indistantiam cum materia, nec posset forma aliqua, quamvis fingeretur infinita, dare suum effectum sine illa propinquitate, vel sicut causa finalis ad suam causalitatem requirit propinquitatem per cognitionem, nec potest aliter illam exercere, etiam si maxime infinita sit, ita agens ut agens requirit ad agendum propinquitatem & immediationem cum passio, vel effectu, sine qua non potest agere etiam si infinitum sit. Adde multo minus id posse convenire agenti infinitae virtutis, quia agere in distans esto in aliquo agente possit videri perfectio, non tamen potest esse perfectio simpliciter, sed supposita imperfectione: absolute tamen non est perfectio multoque melius est per se ipsum, & per suam essentiam, & praesentiam ad esse omnibus, si id possit sine distractione, aut diminutione suae virtutis, quia si Deus est in aliquibus, & non est maior ratio de his, quam de aliis in omnibus aequo necessario erit.

QVÆSTIO IV.

Utrum Deus sit in spatiis imaginariis.

SECTIO I.

Sententia aduersariorum ponitur.

PRIMA Sententia est Patris Vasquez, asserentis Deum non esse in spatiis imaginariis extra caelum, eam docet 1. *part. tomo 1. disp. 29. cap. 2.* eandem sequitur Pater Granad. & multi alij, quos ibi citant hi Authores.

Probat Pater Vasquez 1. ex Patribus, inter quos eam docuisse videtur Textal. *lib. contra Paxeam cap. 5.* his verbis: [Ante omnia Deus erat solus & ipse sibi, & mundus, & locus, & omnia.] Quod si Deus fuisset in illo intervallo imaginario, licet solus fuisset, sibi tamen non fuisset locus; siquidem in alio esset tanquam in loco. Secundo August. *lib. de fide contra Manichaeos. cap. 37.* cum argueret contra Manichaeos vetus testamentum impugnantes, quod multa in eo falsa, & inepta continerentur, contra vero Evangelium tanquam diuinam scripturam suspicerent, contendit, eodem modo contra Evangelium, atque contra vetus testamentum argui posse, ac proinde utrumque eodem modo explicandum esse: mox subiungit; [quia si aliquis ita caecus, ut reprehendere velit illud Domini, quod in Evangelio dictum est, non iurabis per caelum, quoniam sedes Dei est, neque per terram, quoniam scabellum est pedum eius & hoc dicat, quod vos mira dementia dicere soletis, ubi erat Deus, antequam esset caelum, & terra?] &c. Tandem post alia, quae aliqui contra Evangelium possent obicere, subdit: [nonne ignorant ubi caput habeant, & tamen aliquid sibi videntur dicere;] ubi August. stultam esse dixit Manichaeorum interrogationem, ubi esset Deus ante mundi creationem, nulla sane alia de

causa nisi quia alibi quam in se ipso esse non poterat. Idem illa verba *Psalm. 122.* [Qui habitas in caelo;] ut ostendat, caelos spirituales, id est sanctos viros in aeternum mansuros, non autem caelos corporeos esse Dei habitaculum sic ait: [Nam si caelum istud corporeum, quod oculis videmus, intellexerimus esse habitationem Dei, transitura est habitatio Dei, quia caelum, & terra transirent. Deinde antequam faceret Deus caelum & terram, ubi habitabat? sed dicit aliquis, antequam faceret Deus sanctos, ubi habitabat? in se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.] Ecce nullum alium locum praeter seipsum ante mundi creationem deo concedit August. quo etiam sensu dixerat Tertullianus de deo, [sibi erat locus, & omnia.] Haec verba August. videtur retulisse Magister in 1. d. 37. ex libro 3. contra Maximinum, cum tamen ibi nihil eorum habeatur. Eidem interrogationi eodem modo responderet Bernardus *lib. 5. de consideratione, longe ante medium*, nam praeterquam quod ostendit ipsum esse in omni loco vniuersi, ita inquit; [salus vero ubi erat antequam mundus fieret, ubi est; non est quod queras ultra ubi erat: praeter ipsum nihil erat: ergo in se ipso erat.]

Denique non parum fauet Theodoretus, qui cum sentiat, angelos omni corpore carere, ut referemus infra *disp. 178. quest. 3. in Genes.* ea ratione probat, ante mundum corporeum non fuisse, quia cum natura sua loco definiantur, & circumferantur, hoc est, ita in vno sint, ut ubique esse non possint, nequeunt nisi in corpore aliquo esse; censet ergo in spatio illo inani, & imaginario illos creari non potuisse: cuius ratio licet non probet id, quod contendit, ut disputatione illa patebit, quod tamen ad nostrum attinet institutum ex eius habemus sententia angelos in spatio imaginario esse non posse: quocirca neque extra caelum: atque eadem ratione Deus, cum sit spiritus in spatio illo imaginario esse non poterit, licet non indigeat aliquo loco corporeo, ut existat, sicut Theodoretus putauit Angelum indigere.

Secundo probatur ratione, Deus non potest esse in spatio imaginario: ergo ante mundi creationem non erat, nec modo est in infinito inani, sed solum in seipso: consequentia est euidens, quia cum ante mundi creationem, & supra caelestia corpora nihil reale sit, si Deus ibi constitueretur, foret collocandus in spatio negativo, seu imaginario; unde si probauerimus in eo nec fuisse, nec esse posse, solum supererit, Deum in se ipso extitisse ante mundum, & modo non esse supra caelos. Id vero probatur in hunc modum; id quod vere nihil est, non potest esse locus, in quo res realis existat, sed illud spatium imaginarium nihil est: ergo non potest esse locus in quo entitas realis, ac proinde Deus existat. Consequentia est euidens. Minor etiam est certissima, quia nec est ens reale, si enim aliquid reale esset, foret spatium verum, nec est ens rationis, quia secundum aduersarios, nullo intellectu considerante, datur, & alioqui ridiculum esset Deum, vel aliam entitatem realem vere ubicari in ente rationis, seu in spatio quod sola intellectu fictione spatium appellatur. Maiorem ergo probo, quia locus est qui in se recipit, & vere habet rem, quae dicitur esse in illo. nihil autem non potest habere, aut recipere veram entitatem.

Declaratur amplius efficacia huius rationis, expendendo, quid nomine huius spatij imaginarij significetur, nam vel illud est negatio rei, quae